

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5225

Auteur(s) : Grégoire VII [pape]

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : 1187, 18 novembre

Lieu d'émission : Bologne

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Pour décharger la curie des affaires à traiter, le pape Grégoire [VIII] ordonne aux archevêques et aux évêques de résoudre dans leurs auditoires les affaires modestes qui valent moins de 20 marcs.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Ramackers Johannes, *Papsturkunden in Frankreich*, Neue Folge 2 Normandie, Göttingen, Vandenhoeck & Ruprecht (Abhandlungen der Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen. Philologisch-historische Klasse, 21), 1937, 2 vol., n° 288, p. 383-384.

Indications

Jaffé Philippe, Wattenbach Wilhelm, *Regesta pontificum Romanorum ab condita ecclesia ad annum post Christum natum MCXCVIII* 2eéd., Leipzig, Veit, 1885-1888, 2 vol., n° 16056, t. 2, p. 531-532.

Texte établi d'après a

Gregorius episcopus seruus seruorum Dei. Uenerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, ad quos littere iste peruenerint, salutem et apostolicam benedictionem. Vel ex malicia litigancium uel defectu uestro credimus prouenire, quod tanta negociorum frequentia diebus singulis perurgemur, ut imbecillitate proprii corporis laborantes, minori etiam diligentia impediti omnibus non possimus commode superesse aut undique concurrentium clamores et murmura sustinere. Hinc etiam euenit, quod negociis mediocribus occupati maioribus intendere non ualemus, prout necessitas ecclesiastica postulet, et que diffiniri uel disponi per nos breui tempore potuissent, expectatione diutina plus quam oporteat, multis pariter irruentibus producuntur. Quocirca per generalem epistulam remedium huic rei duximus prouidendum, ne uel multitudinis impediamur incursu uel sua iura petentibus possit iusticia deperire. Eapropter uniuersitati uestre per apostolica scripta mandamus, quatinus, si forte super rebus modicis, que infra summam XXti marcarum subsistunt, in auditoriis uestris questio uentiletur et alteruter litigancium delusorie putauerit prouocandum, eius appellatione contempta infra fines episcopatum uestrorum eos eligere iudices, qui suspitione careant, compellatis, si tamen ibidem idonei poterint inueniri, in quorum presentia iurgium sopiatur, a quibus, si qua partium crediderit appellandum, ad archiepiscopum seu primatem uocem prouocationis emittat. Si uero tale negotium fuerit, quod substanciam aliquatenus contineat amplioem, infra fines uestrarum diocesum cognitores eligere, si sponte noluerint, non cogantur, inuiti tamen de uicinis episcopatibus aliquos assumere compellantur iuxta formam, quam premisimus, negocium tractaturos, in maioribus causis et obscurioribus articulis appellandi sedem apostolicam copia reseruata. Non enim uidetur malicie suspicionem carere, quod plerumque suos ad presentiam nostram aduersarios laborare compellunt. Ceterum si qui luctancium a proximo

festo purificationis super aliquibus causis, de quibus episcopus, cuius iurisdictioni saltem is, qui conuenitur, subiacet, non fuerit requisitus uel iudices electi supradicto modo non fuerint, litteras a nobis duxerint impetrandas, per quas examinatio iurgiorum uel diffinitio iudicibus non ordinariis committantur, careant impetratis et ad suorum audienciam iudicum ordine debito negocia reuertantur. Sic enim subterfugiis disceptantium occurrere uolumus, ut, dum eorum calliditatibus obuiamus, eis alium ad iusticiam aditum reseremus. Cum uero aliqui iustam causam habuerint nostram presenciam adeundi, litteras eis dimissorias non negetis seriem negotii continentes. Hec autem de factis ad episcopos appellationibus disponentes super illis, que ad archiepiscopos fieri contingit et primates, antiquorum ordinem canonum mutamus. Dat. Bonon. XIII kal. decembr., indictione VI.